

qui græcè Curetès sunt appellati, alii Corybantes dicuntur, hi autem Lares appellantur.

CXL. Python.



Python terræ filius, draco ingens, hic ante Apollinè ex oraculo in monte Parnasso respõsa dare solitus erat, huic ex Latonæ partu interitus erat factus futurus, eo tempore Iouis cum Latona Poli filia concubuit, hoc cum Iuno rescit, facit ut Latona ibi pareret, quò Sol non accederet. Python ubi sensit Latonam ex Ioue grauidam esse, persequi cœpit, ut eam interficeret. At Latonam Iouis iussu uentus Aquilo sublatam ad Neptunum pertulit, ille eam tutatus est, sed ne rescinderet Iunonis factum, in insulam eam Ortygiam detulit, quam insulam fluctibus cooperuit. Quod cum Python eam non inuenisset, Parnassum tedit. At Neptunus insulam Ortygiam in superiorem partem retulit, quæ postea insula Delus est appellata, ibi Latona oleam tenens parit Apollinem & Dianam, quibus Vulcanus sagittas dedit donum, post diem quartum quàm essent nati, Apollo matris pœnas excusatus est, nam Parnassum uenit, & Pythonem sagittis interfecit, inde Pythius est dictus, ossa q̄ eius in cortinam coniecit, & in templo suo posuit, ludos q̄ funebres ei fecit, qui ludi Pythia dicuntur.

CXLI. Sirenes.



Sirenes Acheloi fluminis & Melpomenes Musæ filia, Proserpinæ raptu aberrantes ad Apollinis terram uenerunt, ibi q̄ Cereris uoluntate quod Proserpinæ auxilium non tulerant, uolaticæ sunt factæ. His responsum erat tam diu eas uicturas, quamdiu cantantes eas audiens nemo esset præteruectus, quibus fatalis fuit Vlysses, astutia enim sua cum præ nauigasset scopulos, in quibus morabantur, precipitarunt se in mare, à quibus locus Sirenides cognominatur, qui est inter Siciliam & Italiam.

CXLI. Pandora.

Promethetis Iapeti filius, primus homines ex luto finxit, postea Vulcanus Iouis iussu ex luto mulieris effigiem fecit, cui Minerua animam dedit, cæteri q̄ Dii aliud aliud donum dederunt, ob id Pandoram nominarunt, ea data in coniugium Epimetheo fratri, inde nata est Pyrrha, quæ mortalis dicitur prima esse creata.

CXLI. Phoroneus.



Phorus Oceani filius, ex Archia sorore sua procreauit Phoroneum qui primus mortalium dicitur regnasse. Homines ante secula multa sine oppidibus legibus q̄ uitam exegerunt, una lingua loquentes, sub Iouis imperio, sed postquam Mercurius sermones hominum interpretatus est, unde Hermes neutes dicitur esse interpres, Mercurius enim græcè Hermes uocatur. Idem nationes distribuit, tum discordia inter mortales esse cœpit, quod Ioui placitum non est. Itaq̄ exordium regnandi tradidit Phoroneo, ob id beneficiũ quod Iunonis sacra primus fecit.

CXLI. Prometheus.



Homines antea ab immortalibus ignem petebant, neq̄ in perpetuum seruire sciebant, quod postea Prometheus in ferula detulit in terras, hominibus q̄ monstrauit quomodo cinere obrutum, seruirent. Ob hanc Mercurius Iouis iussu deligauit eum in monte Caucaaso ad saxum clauis ferreis, & aquilam apposuit, quæ cor eius exeffet, quantum die ederat, tantum nocte crescebat, hanc aquilam post triginta annos Hercules interfecit, eumque liberauit.

CXLV. Niobe siue Io.

Ex Thronio & Cinna nati Apis & Nioba, hanc Iupiter mortalem primam compressit, ex ea natus est Argus, qui suo nomine Argos oppidum cognominauit, ex Argo & Euadne Crinus, Piranthus, & Basus nati, ex Pirantho Callithoe, Argus, Antistorides, Triopas hic ex hoc Eurisabe Anthus, Pelasgus, Agenor, ex Triope et Oreaside Xanthus

Phoroneo, sic n. ex Paus. colligitur legendũ esse qui Argũ φαρωνίωσιν uocat. Phorbante.